

UTRUM
PRIMA IOANNIS EPISTOLA COETVI
E IVDAEIS ET IVDAEO-CHRISTIANIS
MIXTO SCRIPTA SIT.

DISSERTATIO EXEGETICA

QVAM

AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS
AVCTORITATE

PRAESES

CAROLVS FRIDERICVS WVNDER

AA. LL. ET PHILOS. M. S. S. THEOLOG. BACCALAVR. ET AD AEDEM
S. MARIAE DIACONVS IV,

PRO LOCO

INTER ADIVNCTOS ORDINIS PHILOSOPHICI

RITE OBTINENDO

A. D. II. OCTBR. A. N. C. MDCCCXCIX

H. L. Q. C.

DEFENDET

SOCIO

M. IOANNE AVGVSTO ZEVNE

VITEBERGENSI.

VITEBERGAE

LITERIS CHRISTIANI PHILIPPI MELTZERI
ACADEMIAE TYPOGRAPHI.

ol. diss. A
3, 38

Diss. A. 238 (38)

U F R V M

FREIHEIT DER PRESSE
UND DER VEREINIGUNG
DER ARBEITENDEN
Klassen

VEREINIGUNG DER ARBEITENDEN

1848

VEREINIGUNG DER ARBEITENDEN
Klassen

1848

VEREINIGUNG DER ARBEITENDEN
Klassen

VEREINIGUNG DER ARBEITENDEN



VEREINIGUNG DER ARBEITENDEN

VEREINIGUNG DER ARBEITENDEN

1848

1848

VEREINIGUNG DER ARBEITENDEN

VEREINIGUNG DER ARBEITENDEN

VEREINIGUNG DER ARBEITENDEN

VEREINIGUNG DER ARBEITENDEN

1848

VIRIS

ILLVSTRISSIMIS ATQVE EXCELLENTISSIMIS

DOMINO

FRIDERICO LVDOVICO WVRMB

DYNASTAE IN GROSEENFVRRRA

SERENISSIMO PRINCIPI ELECTORI SAXONIAE A CONSILIIIS SANCTIORIBVS

ET AB ADMINISTRATIONE INTERIORI REIPVBLICAE ORDINIS IMPER.

S. IOSEPHI EQVITI ETC. ETC.

NEC NON

DOMINO

CHRISTOPHORO GOTTLOB

DE BVRGSDORF

SERENISSIMO PRINCIPI ELECTORI SAXONIAE A CONSILIIIS

SANCTIORIBVS ETC. ETC.

27877
VIRIS SVMMIS
DE REPUBLICA, ECCLESIA ET LITERIS
IMMORTALITER MERITIS
MAECENATIBVS ET PATRONIS
INDVLGENTISSIMIS

HVNCCE

LIBELLVM ACADEMICVM

SVMMA ANIMI DEVOTIONE

CONSECRAT

ET SE SVAMQVE FORTVNAM

DEMISSISSIME COMMENDAT

ADDICTISSIMVS CLIENS

CAROLVS FRIDERICVS WVNDER.

Quamquam ea, quae nuper ad probandam doctrinam de universalitate iustificationis, morti Christi ab Apostolis tributae, disputare coepi, nova hac, quae mihi oblata est, scribendi occasione lubenter continuarem: id tamen quominus ita, ut animo conceperam, nunc a me fieri possit, ipsius ordinis philosophici, hocce munus aliquid scribendi mihi iniungentis, legibus impediatur. Quemadmodum enim Theologorum ordo certas humanae scientiae partes, certa quaestionum genera, tanquam sua, sibi vindicat et quendam quasi campum, certis finibus circumscriptum, tuetur, in quem alius ordinis homines grassari non patitur, ita Philosophorum ordo, cui amplissimus disciplinarum campus assignatus est, vel ob ipsam hanc amplitudinem haud permittit, ut e campi huius agris egressi in aliorum veluti castra excurrant ii, qui certaminis causa edere quid tenentur, ut in hoc ordine locum rite sibi vindicent. Quum igitur pleraque e reliquis argumentis, quibus doctrina illa biblica inniti mihi videtur, ex intima derivanda sint Theologia: ea saltem, quae sunt e genere mere theologico, nunc seiungere horumque tractationem in aliud tempus differre cogor. Neque tamen ideo opus nec animus mihi est, hanc rem, quam tractare coepi, nunc penitus dimittere ac seponere. Nam ut certo cognosci atque diiudicari possit, quam recte atque vere morti Christi iustificatio ad omnes omnino homines pertinens tribuatur, variis opus est quaestionibus, quae sine praesidiis, ab historia et grammatica suppeditatis, institui ac dirimi haud possunt. Si vero has eruditionis partes iure suo ad se tanquam sua trahit Philosophorum ordo: nullo modo a cathedra philosophica quaestiones et disputationes de rebus et sententiis e Veterum cuiusque generis scriptis, ope historicae atque grammaticae interpretationis eruendis, excludi poterunt. Ad hoc autem disputandi genus sine dubio referenda est quaestio de sensu loci Ioannei

A

i. ep.

1. ep. 2, 1. ut efficiatur, de quorum hominum peccatis interpretandus sit locus. Ad quam quidem quaestionem rite tractandam quum et pertineat altera, quibus omnino hominibus scripta sit epistola: eam nunc seiunctam a caeteris ita tractabo, ut argumenta proferam et examinem, ob quae ista epistola Iudaeis tantum natione, iisque tum credulis, tum incredulis, scripta censetur.

Scilicet omni tempore a plerisque Theologis ac SSae interpretibus, qui quidem nobis innotuerunt, in locis, quibus veniae peccatorum ab ipsis Christianis patratum spes, ob Christi mortem facta, legitur, classicus ac primarius habebatur ille, qui continetur secundo capite prioris epistolae Ioanneae v. 1 et 2. ubi haec verba reperiuntur: Ἐάν τις ἀμάρτη, παράκλητον ἔχομεν πρὸς τὸν πατέρα, Ἰησοῦν Χριστὸν, δίκαιον, καὶ αὐτὸς ἰλασμός ἐστι περὶ τῶν ἀμαρτιῶν ἡμῶν, οὐ περὶ τῶν ἡμετέρων δὲ μόνον, ἀλλὰ καὶ περὶ ὅλου τοῦ κόσμου. Ipse Loefflerus, qui negat ullo in loco ab Apostolis doceri, Christianis peccantibus remissionem propter mortem Christi esse sperandam, fatetur, nostrum Ioannis locum unicum esse, qui tale quid continere videatur. Non tamen a se impetrare potest, ut sibi persuadeat, re vera his verbis ad peccata a Christianis commissa respici. Quamquam vero alii iam fuerunt, qui existimarent, locum hunc non de peccatis Christianorum, sed de peccatis a Iudaeis, antequam facti essent Christiani, patratum interpretandum esse, quia his tantum Iudaeo-christianis epistolam scriptam putarent: tamen non de his tempore Iudaismi a Iudaeo-christianis peccatis commissis, sed de sceleribus, quibus Iudaei, nondum ad fidem adducti, volverentur, explicandum esse opinatur Loefflerus a), coniectura, in interpretationis praesidium propolita, nixus, videri epistolam ad Iudaicam Synagogam, ex Iudaeis credulis et incredulis constantem, datam. Constitutum igitur mihi est, hac occasione praecipua argumenta, quae ab utriusque sententiae auctoribus proferuntur, in examen vocare. In quo quidem ita versabor, ut primo sententias de iis, quibus epistola scripta putatur, recenscam atque causas potiores, quibus ducti nonnulli eam Iudaeo-christianis missam censent, examinem, adiunctis ratio-

a) In libro; Ueber die kirchliche Genugthuungslehre, pag. 152. sqq.

rationibus, ob quas unanimi consensu et recte, ut opinor, eorum causa, qui iam Christiani essent, unice consignata existimatur; *deinde* vero, ad diiudicandam *Loeffleri* hypothesin, quaedam de causis, quae impulerint Apostolum ad conscribendam epistolam et consilio, quod sibi ea consignanda proposuerit, praemittam; et *tandem* ipsa argumenta, a *Loefflero* in suae sententiae praesidium allata, proferam ac diiudicem.

Quamquam in obscuro iacet, cui nominatim coetui Christianorum, utrum uni tantum certo, an pluribus ^{b)} per varias regiones dissipatis coetibus destinata fuerit ab auctore epistola: id tamen inde ab antiquissimis temporibus pro certo ^{c)} habebatur, eam scriptam esse credentibus. Quemadmodum vero in hac sententia omnes conveniebant, ita a se invicem discrepabant in definiendo, quinam credentes fuerint, quibus scripsit Ioannes, utrum Christiani e Iudaeis, an ex Gentilibus conversi, an denique ex utrisque fuerint conflati. Qui priorem amplexi sunt sententiam, nituntur *partim* verbis, quae leguntur cap. 2. v. 2., *partim* locis, ubi *hi*, quibus mittitur epistola, *ab initio* iam, *doctrinam christianam audivisse* (2, 7—24.) et, *qui πατέρες salutantur, τὸν ἀπ' ἀρχῆς ἐγνωκέναι* (2, 13.) dicuntur, sub quibus *eos, qui Christum, dum in his terris viveret, oculis usurpaverint*, innuisse Apostolum volunt. Scilicet *in priori loco* (2, 2.) verba *περὶ τῶν ἀμαρτιῶν ἡμῶν, οὐ περὶ τῶν ἡμετέρων δὲ μόνον* ab Ioanne ad designanda peccata ^{d)} Iudaeorum, quibus se propter natales annumerasset, posita putant, atque verbum *κόσμος* in additis: *ἀλλὰ καὶ περὶ ὅλου τοῦ κόσμου* de Christianis e paganis interpretantur. Sed

primo

b) Quod ii haud dubie voluerunt, qui hanc epistolam *catholicam* appellarunt, quamquam et huius denominationis causa incerta est; vid. praeter *Zachariae Einleitung Pottii* Excurs. I. ad epistol. Iacobi.

c) Sic enim v. c. *Oecumenius* Commentar. suum in hanc ep. orditur: *ταύτην ὁ αὐτὸς Ἰωάννης, ὁ τὸ εὐαγγέλιον γράψας, ἐπισέλλει, ὑπομιμνήσκων τοὺς*

ἤδη πισεύσαντας εἰς τὸν Κύριον. Ac multo ante Clemens Alexandr. qui in *adumbrationibus* in Ioann. epist. ex interpr. *Aurel. Cassiodor.* verbis e v. 2. cap. 2. *pro nostris peccatis* addit: *hoc est. fidelium.*

d) Ita imprimis *Bensonus* in *Prolegom.* et in notis ad h. l. sed etiam *Beza* et *Lightfootus* in *Opp.* T. I. p. 377. et 444.

A 2

primo hac ratione mihi videtur iam id tanquam certum sumi, de quo adhuc quaeritur; *deinde* vix certi aliquid e huiusmodi verbis, ita univ-
 verse adhibitis, colligi potest, imprimis cum constet, Apostolos in vocibus
ἡμῖς et *ὕμῃς*, et prima et secunda pluralis numeri persona, usurpandis
 tantopere variare et promiscue modo hac modo illa uti. Ecquis enim,
 nihil aliud si accesserit, definire audeat, Ioannem primam pluralis perso-
 nam in *ἔχομεν παράκλητον* et vocem *ἡμέτερος* in *v. περὶ ἁμαρτιῶν ἡμετέρων*
 usurpasse ideo, quod se ipsum nunc merum cogitaverit Iudaeum ac Iu-
 daei eorumque peccata animo eius junice fuerint obversata? *Denique*
 vero in tali oratione, qualis h. l. reperitur, ubi ipsis Christianis *κόσμος*
 opponitur, usus loquendi in N. T. imprimis apud Ioannem obvius, ob-
 stat, quominus *κόσμος* ita, uti *Bensonus* aliique volunt, intelligi possit.
Κόσμος enim in N. T. aut universum genus e) humanum, aut homines
 a religione Christiana abhorrentes eique adversantes indicat, id quod
 semper ex orationis serie et oppositorum ratione eruendum est. Quoniam
 igitur nostro in loco Christus dicitur *victima piacularis* pro peccatis
 nostris i. e. Christianorum (nihil enim praecessit, quod moneret, unum
 certum lectorum genus, reliquis exclusis, hic respici, aut de solis f) Iu-
 daeis eorumque utpote Iudaeorum peccatis esse hic cogitandum): *κόσμος*
 cum

e) Neque vis huius verbi in N. T. ubique
 aestimanda et constituenda est aut ex for-
 mulis loquendi Judaicis, ad quas *Lightfoot*
 (Opp. T. II. p. 11. sq. et ad Luc. XII, 30.
 et Joann. III, 17.) et qui eum sequuntur,
 provocant, aut ex iis N. T. locis, ubi di-
 serte de Iudaeis sermo est, quibus reliqui
 homines sub nomine *κόσμου* opponuntur.
 Quum enim per dominantem in N. T. do-
 ctrinam *Christiani* in locum *Judaeorum*,
 quippe *τοῦ λαοῦ ἁγίου*, successerint atque
 vocabula olim de Iudaeis adhibita in Chri-
 sti cultores fuerint translata: sub *κόσμῳ*,
 Christianis si opponitur, omnes homines,
 ne Iudaeis quidem exceptis, a religione
 Christi adhuc alieni denotantur. Aliis vero

in locis, ubi *κόσμος* simpliciter dr., *uni-
 versum genus human.* complectitur, contra
 ac *Lightfoot* et *Benson* volunt, qui ubique
 fere atque adeo Joh III, 16. 17. 2 Cor. V, 19.
κόσμον de mundo tantum *ethnico* interpre-
 tantur. Sed *κόσμον* in his et multis aliis
 locis, ubi ad ambitum reddita per Chri-
 stum felicitatis describendum adhibetur, *uni-
 versum* significare *genus hum.* luculenter do-
 cuit REINHARDUS V. S. V. *im Versuch*
über den Plan Jesu. p. 39. sqq.

f) Quemadmodum vult *Löfflerus*, qui
 libr. laud. p. 36 et 154. locum ita reddit:
*Dieser ist das Reinigungsoffer für die Sün-
 den der Juden, und nicht blos der Juden,
 sondern der ganzen Welt.*

cum Christianis addatur, non iterum Christianos, sed alios praeter hos et ab his diversos innuere debet. Quoties enim alias de se et lectoribus suis per primam pluralis personam in hac epistola loquitur, atque hos secum a κόσμῳ seiungit: κόσμος nec gentiles, neque ethnico-Christianos, sed omnes a religione Christiana adhuc alienos, significat. Sic admonitionem: ἴδετε ποταπὴν ἀγάπην δέδωκεν ἡμῖν ὁ πατήρ, ἵνα τέκνα θεοῦ κληθῶμεν, qua cap. 3, 1. haud dubie Christiani compellantur, haec excipiunt verba: διὰ τοῦτο ὁ κόσμος οὐ γινώσκει ἡμᾶς, ὅτι οὐκ ἔγνω αὐτὸν. In quibus luce clarius est, sub ἡμᾶς Christianos, sub ὁ κόσμος non-Christianos intelligi. Eodem modo legimus v. 13. eiusdem cap. μὴ θαυμάζετε, ἀδελφοί μου, εἰ μισεῖ ὑμᾶς ὁ κόσμος. Et 5, 19. ὀίδαμεν, ὅτι ἐκ τοῦ θεοῦ ἐσμην, καὶ ὁ κόσμος ὅλος ἐν τῷ πονηρῷ κείται, quibus in locis sub κόσμῳ opposito his, quibus scripsit Ioannes, manifesto religionis Christianae expertes comprehenduntur. Nec ullum exemplum in N. T. prostat, e quo doceri possit, κόσμον adhiberi ad designandos Christianos e paganis, ut ita distinguantur a Iudaeo-Christianis. Neque verisimile est, Ioannem Christianos sub nomine κόσμου denotasse ea in epistola, in qua Christianos semper τῷ κόσμῳ opponit, veros Christianos ab ea parte describit, qua vicerunt κόσμον, qua non sunt ἐκ τοῦ κόσμου, et sub κόσμῳ quidquid Christianismo repugnat, complectitur. Nihil ergo verbis huius loci inesse videtur, unde praesidium peti possit ad probandam sententiam, qua epistola ad Iudaeo-Christianos unice seu potissimum scripta dicitur. Nihil enim impedit, quominus verba περὶ τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν de peccatis Christianorum quorumvis, sive e Iudaeis fuerint, sive e paganis, capi possint; quin usus loquendi Ioanneus postulat, ut de his intelligatur, quia Christianos semper κόσμῳ eximit, quos et hic eidem κόσμῳ opponit.

Neque vero caeteri loci, quos alii huius sententiae tuendae causa adducunt, id quod cupiunt, evincunt. Quia nempe pluribus in locis lectores epistolae describuntur tales, qui eandem doctrinam, a Ioanne in epistola traditam, ab initio audivissent: hac descriptione eiusmodi generis lectores indicari colligunt, qui in Galilaea et Hierosolymis ipsum Iesum fuerint sectati eumque audierint docentem. Id quod tamen
mini-

minime puto exinde colligi posse. Primo enim ex hoc Iesu discipulorum genere si lectores epistolae constitissent: haud dubie horum ipsorum, non unice suam ipsius fidem atque auctoritatem, quod initio epistolae fecit, esset testatus. Accedit, quod nihil est, quod nos cogat, in definiendo temporis puncto, verbis ἀπ' ἀρχῆς notato, usque ad primordia religionis, ab ipso Christo propagari coeptae, descendere atque haec ipsa hic descripta censere. Nonne ipsum hoc initium, a quo doctrinam audivisse dicuntur, ad primam ἀκοήν, ad primam institutionem, quam quisque accepit tempore eo, quo fidem Christo dedit, referri atque tempus intelligi potest illud, quo singuli facti sunt Christiani? Nihil ita explicando pro mero arbitrio et absque exemplo fieri, patet inde, quod et in aliis g) locis Ioanneis verba ἐν ἀρχῇ et ἀπ' ἀρχῆς, simpliciter posita, pro ipsa rei natura, de qua sermo est et orationis serie, in qua reperiuntur, definiri atque intelligi debent. Sic initio evangelii Ioannis de *initii conditi mundi*, sic ibidem 25, 27, uti in primo epistolae nostrae capite de *primordiis religionis a Christo promulgatae* h) explicari debent, quia res, de qua agitur et adiuncta reliqua hanc explicationem exigunt. Cur igitur hic non easdem liceat sequi leges et iuxta has verba ἀπ' ἀρχῆς simpliciter posita, ubi de institutione Christianorum sermo est, ad ipsum huius institutionis initium, quocumque demum tempore illud factum fuerit, restringere? Saltem ob hanc explicandi rationem, quae nisi probabilior, aequae tamen probabilis est ac prior illa, nihil ex his locis deduci posse puto ad sententiam de epistola hac, Iudaeis Palaestinis missa, stabiliendam.

Non gravioris ponderis argumentum videtur esse illud, quod quidam ex Ioan. ep. 2, 13. petunt, cuique maximam vim tribuit *Bensonus*. Alloquitur ibi Ioannes lectores suos secundum diversas eorum aetates atque singulis aetatibus, πατέρισι, νεανίσκοις, et παιδίοις adiungit singulas admonitiones, quae tamen quum his, quibus scribuntur, non ita propriae

g) Varios huius formulae significatus pro nostri, V. S. V. Lexico in N. T. T. I. p. 320.
contextae orationis, in qua per libros N. T. h) Vid. S. V. *Paulus in Historia Cerinthi*
occurrit, varietate reperies in SCHLEUSNERI Part. II. p. 70.

priae et accommodatae sint, quin et ad omnes reliquas referri possint: vix eo consilio propositae videntur, ut ita cuilibet aetati proprium et diversum quid ab alia dicatur, sed oratorie magis, quam historice adhibitae videantur. Orationem ita orditur Ioannes: γράφω ὑμῖν, πατέρες, ὅτι ἐγνώκατε τὸν ἀπ' ἀρχῆς sc. ὄντα. Quia igitur patribus, quos compellat, hoc tribuit, quod cognoverint eum, qui ab initio fuit, sub quo recte, opinor, Christum intelligunt: putant, hic appellari seniores illos, qui in Christianismo consenuissent, atque verbum ἐγνωμέναι de adspectabili cognitione interpretantes, ipsam Christum oculis suis, dum in his terris degeret, conspicati essent. Sed ut concedamus, tales hic respici, ad quod tamen nulla plane necessitas nos urget: sequitur inde, locum, ad quem missa est haec epistola, quaerendum esse in ipsis illis regionibus, in quibus rerum suarum Iesus fixerat sedem, atque coetum Christianorum, cui data est, constitisse unice ex Iudaeis conversis? Poterantne Christianorum isti senes, quos hic compellari autumant, et quorum tum, cum epistola haec scribebatur, haud dubie magna paucitas fuit, ex numero eorum esse, qui variis persecutionibus agitati patriaque sua expulsi in alias terrarum partes se receperant, et in ecclesiis Christianorum ex Iudaeis et paganis collectorum vixerant, dignitate fortasse et munere presbyterorum ornati, a quibus, uti constat, prima ecclesia recta est, quique etiam hanc ob causam πατέρες dici poterant? Omitto alia, quae contra hanc *Bensoni* aliorumque sententiam moneri possent.

Alii contra, qui existimant, epistolam ad Christianos e paganis scriptam esse, sententiae suae praelidium tum in iis, quae saepius de *patre* cognito, de victo *πονηρῷ*, de victo *κόσμῳ* dicuntur, quibus veri dei cognitionem et fugam idololatriae imprimis comprehendere volunt, tum maxime in admonitione reperiunt, qua omnis epistola clauditur: *τεκνία, φυλάξτε εαυτοὺς ἀπὸ τῶν εἰδώλων*, cavete vobis ab idolis colendis. Colligunt, missam fuisse epistolam ethnico - Christianis, quia monentur, ne se ad idololatriam abripi patiantur, cuius sceleris Iudaei accusari non poterant. Vereor tamen, ut unicus hic locus, unica haec admonitio sufficiat ad hanc opinionem confirmandam. Id unice admonitione hac,

live

sive ea Ioannem lectores a defectione ad deastrorum cultum, sive ab εἰδωλοθύτοις epulisque sacris, ad quas invitari Christiani solebant, dehortari putes, tuto colligi potest, epistolam missam esse ad ecclesiam, in qua Christiani e paganis conversi fuerant. Hinc proxime a vero abesse videtur sententia eorum, qui epistolam ad Christianos quosvis, inter paganos viventes, sive ex Iudaeis i) sive ex Paganis fuerint, exaratam putant. Cui sententiae pondus accedit inde, quod, ut plures iam ostenderunt, epistola nostra ad eosdem homines et easdem ob causas missa videtur, ad quos homines et ob quas causae scriptae sunt Petri et Iacobi k) epistolae.

Ita quidem omnes, quamquam alias diversa sentientes, consentiunt in eo, datam esse epistolam tantummodo ad homines religionem Christianam iam professos. Nec id sine gravibus causis censuisse putandi sunt. Praeterquam enim, quod ipsa differendi ratio, hoc ut sumatur, efflagitat, varii insunt epistolae loci, in quibus ii, quibus missa est, ita appellantur et describuntur, ut manifestum fiat, istos fuisse e numero eorum, quos ipse Ioannes notitia religionis christianae imbuerat, quique omnia ab eo in epistola tradita vere iam et accurate noverant.

Ab ultimo ut incipiamus, pluribus in locis disertè dicitur, hos, quibus missa est epistola, instructos iam fuisse religionis christianae notitiis atque expressis verbis declaratur, epistolam non scriptam esse, ut ignorantes primum de veritate Christiana edocerentur, sed ut de veritate evangelica iam edocti et persuasi in ea integra ab erroribus tenenda confirmarentur. *Non novam, dicit II, 7. i. e. non incognitam vobis scribo praeceptionem, sed veterem praeceptionem, quam habuistis i. e. traditam accepistis ἀπ' ἀρχῆς* tum, quum primum ad religionem Christianam accessistis; *veterem praeceptionem dico illam ipsam doctrinam, quam*

i) Ex his enim haud dubie fuerunt ii, qui negarent, Jesum fuisse Messiam cf. *der erste Brief des Johannes, ein Sendschreiben an eine bestimmte Gemeinde und keine allgemeine Abhandlung oder Buch*, auctore

Ziegler. in Henke's Mag VI. B. 2. St. p. 272.

k) Cf. *Bensonus* in multis locis ad Joann. ep. et imprimis ad 2 Petr. I, 9. quosque laudavit S. V. *Rosenmüllerus* in Schol. ad ep. Iacob.

quam audivistis olim, quum primum christiani estis facti. — Ad constantiam fidei, quam doctrinae Christianae praebuerant, hortatur Apostolus suos his verbis vl. 24. *Vos igitur, (in prioribus de corruptoribus genuinae doctrinae locutus fuerat.) vos doctrinam, quam ab initio evangelii vobis annuntiati accepistis, conservate; si enim haec, ab initio inde vobis tradita, doctrina permanserit in vobis: permanebitis etiam vos cum Patre et Filio coniuncti.* — De adventu ἀντιχρίστου loquitur 2, 18. 4, 3. utpote de re, lectoribus iam diu cognita atque praedicta. — Doctrinam de fratribus amandis appellat 3, 11. doctrinam, ἀπ' ἀρχῆς traditam. Lectores suos alloquitur 3, 5. quippe iam edoctos de consilio, quo Christus in his terris apparuerit, scil. Ἰνα τὰς ἀμαρτίας ἡμῶν ἄρῃ, et 2, 21. claris verbis profitetur, se non scripsisse lectoribus suis hanc epistolam, quasi putaret, veram doctrinam religionis ab ipsis ignorari, sed hanc potius ob causam, quod eam iis bene cognitam esse nosset, ut adeo non opus esset nova docere et incognita, sed admonere tantum, ut cognita in animo fixa tenerent.

Quid? quod ab ipso Apostolo religionis Christianae scientia hi, quorum in usum literis consignavit epistolam, imbuti esse videntur? Utitur enim semper fere¹⁾ blando illo τρυφῶν nomine, quo lectores tanquam discipulos suos compellat. Constat enim, hoc blandientis nomine doctores solitos esse alloqui discipulos suos. At vero si vel maxime quis obiiciat, ex hac appellatione sola nil certi colligi posse, quia non minus constet, eo nomine et alios praeter discipulos compellari, quos quis animo prosequeretur paterno; tamen sat multi loci alii perspicue declarare videntur, Ioannem ipsis, ad quos scripsit, impertivisse religionis christianae cognitionem. Nam praeter illos locos, modo allatos, in quibus provocat ad doctrinam, quam olim acceperant, id quod per se quidem et de doctrina ab aliis accepta intelligi posset, occurrunt alii, qui talem lectoribus tribuunt religionis notitiam, qualem iis inesse tam certo certo

1) II, 1. 12. 28. III, 7. 18. IV, 4. V, 21. vid. Ziegler. in libro supra laud. p. 262.

scire et affirmare non poterat Ioannes, nisi eos ipse edocuisset. *Vos, inquit, 2, 20. uncti estis a sancto numine i. e. instructi estis religionis scientia divinitus, per divinam, quae vobis contigit, institutionem, et nostis omnia, ut omnia, quae in religionis negotio scitu necessaria vobis sunt, perspecta habeatis, nec, quemadmodum v. 27, eadem repetens, addit, opus habetis, ut alius quis vos edoceat, ut vosmet ipsos denuo in disciplinam aliorum tradatis, qui sub nomine γνώσεως, quam prae se ferunt, vos erroribus suis inficere cupiunt. Laudat adeo eos eodem v. 27, quod teneant adhuc ea, quae ab initio didicerint, atque admonet, ut in his, quae quidem omnia scitu ipsis necessaria et utilia continerent, constanter perseverent. Quomodo vero tali oratione lectores alloqui ac cohortari potuisset, si religionis doctrina per alios fuissent eruditi, qui, se inscio, alia omittere, alia addere et varia, apostolicae doctrinae minime congruentia, tradere potuissent?*

Praeterea per totam epistolam id genus orationis diffusum est, e quo patescit, in docendo et admonendo Apostoli animo semper observatos esse Christianos. Ad hoc genus pertinent haud dubie admonitiones de ambulando ἐν Φωτὶ, sub quo non simpliciter vita proba et rectae cognitioni conveniens, sed ea potissimum cognitio^{m)} intelligenda est, quae per Christum innotuit, et ad doctrinam et exemplum eius componitur. Admonet enim Apostolus tales, qui sibi persuadebant, se esse et vivere ἐν Φωτὶ, qui professionem fidei Christianae prae se ferebant, saltem Christiani vigleri volebant. Tales, qui iam Christiani essent, hac admonitione compellere, sequitur inde, quod, qui hoc nomine digni esse velint, ad exemplum Christi vitae rationem instituere iubentur; quo ponitur, his, quibus ea scribuntur, vitae, quam Iesus egit, rationem dudum

m) Quamquam enim Φῶς doctrinam quamcunque significat, quae errores dispellit et homines sapientes reddit (ut or verbis SCHLEUSNERI in Lex. h. v): imprimis tamen, ut recte idem V. S. V. monuit et exemplis confirmavit, doctrinam et religio-

nem christianam, a Jesu et Apostolis traditam, uno verbo, Christianismum in N. T. denotat. Cf. etiam, quae protulit Schöttgen. in Horis Hebr. de usu v. Φῶς et σκότος ap. Judaeos ad Ev. Joann. I, 9. III, 19.

dum fuisse adumbratam et cognitam. — Huc referendae sunt cohortationes de amandis fratribus, de odio in eos exuendo, amore erga eos induendo factisque declarando 2, 9. 3, 16, 3, 16. sq. His enim in locis ⁿ⁾ dubio procul non amoris officia omnibus omnino hominibus, sed Christianis ab his, qui secum eandem religionem profitentur, praeſtanda commendantur. Qui enim iubetur ἀδελφὸν ἀγαπᾶν, is eo ipſo illius, ab ſe tanquam ἀδελφοῦ amandi, declaratur ἀδελφὸς i. e. Christianus. — Eiusdem generis dicendi rationes ſunt eae, quibus ii, qui compellantur, deſcribuntur tales, qui ſint ἐκ Θεοῦ 4, 4. 5, 19. qui ſint γεγεννημένοι ἐκ τοῦ Θεοῦ (2, 29); qui ideo cogitare monentur beneficii vim, quod iis a deo quippe τέκνοις Θεοῦ exhibitum fuerit (3, 1.); quibus proinde non mirum ac inſolens videri debeat, ſi nunc, quamquam vere iam τέκνα τ. Θεοῦ, odio τοῦ κόσμου expoſiti ſint (3, 1. 13.); quorum coniunctionis cum deo certiffimum pignus hoc ſit, quod deus iſtis dederit^{o)} ἐκ τοῦ πνεύματος αὐτοῦ (3, 24. 4, 13.) quique tandem dicuntur viciffe antichriſtos eaque re diſtingui ab his, qui ἐκ τοῦ κόσμου εἰσὶ et ἐκ τοῦ κόσμου λαλοῦσι.

Tanta quum ſit et multitudo et perſpicuitas locorum, in quibus lectores deſignantur tanquam Chriſtiani religionem Chriſtianam diu iam edocti, ab ipſo Apoſtolo inſtituti, et huius inſtitutionis maximam partem tenaces, quis miretur, ſi omnes hucusque unanimi conſenſu ſtatuerint, nonniſi ad Chriſtianos, quicumque demum illi fuerint, epiſtolam eſſe miſſam? E contra mirum proſecto videri debeat, quare, aliis praeter Chriſtianos ſi ſcripſit, id tam tecte et obſcure iecerit atque ſignificarit, ut vix quiſquam hanc eius mentem ſit aſſecutus. Loefflerus vero etſi prius non negat, ſumit tamen etiam, epiſtolam non ſolum ad illos, ſed eodem tempore ad Iudaeos, nondum religioni Chr. addictos, rerumque chriſtianarum plane rudes eſſe ſcriptam, quos quidem Iudaeos
inpri-

n) *Confessionis et religionis Chriſt. aſſeſtas et ſocios* his et in caeteris epiſt. locis deſignari iam monuit Feſſelius in *Adverſariis Sacris* T. I. p. 484.

o) Nam formulis: *ex deo eſſe, a deo ge-*

nitum eſſe, ſpiritum dei accepiſſe ſemper exprimitur haec: *eſſe religionis ſcientia inſtructum* cf. b. Monus in diſſ. de *notionibus univerſis in Theolog.* p. 26.

in primis per caput primum et initio secundi capitis respici putat, ideoque ἀμαρτάνειν de statuta flagitioso Iudaei non conversi interpretatur. Argumenta quidem, quibus hanc coniecturam confirmari putat, duplicis sunt generis. Prius argumentorum genus desumptum est ex quibusdam epistolae locis, alterum ex ipsius coniecturae probabilitate tum per se tum per alias epistolas, e quibus cognosceretur, Apostolos subinde etiam ad Iudaeos incredulos scripsisse. Quum ad prioris generis argumenta diiudicanda opus sit, ut teneamus, quid fuerit causae, quare hanc epistolam scripserit Ioannes: quaedam ea de re quatenus p) ad institutum nostrum pertinent, et ex ipsa epistola cognoscuntur, praemonenda erunt. Iam vero de causa, quae Ioannem ad scribendum impulerat, et de consilio, quod eo sibi proposuerat, etsi non dilerte moneremur 2, 26: tamen ex multis locis epistolae et universa, qua utitur auctor, disputandi ratione, intelligeremus, in ecclesia s. ecclesiis, quibus scripsit, varios tum errores, veritatem doctrinae apostolicae de Iesu, Messia, infringentes, a quibusdam hominibus, nomine ψεύσεων, ἀντιχρίστων, ψευδοπροφητῶν, insignitis, sparsos, tum varia vitia et scelera ex iisdem erroribus profecta, vel adaucta viguisse, a quibus ne inficerentur lectores sui cavere Ioannes per hanc epistolam voluerit.

Istorum vero errorum auctores qui fuerint, quod nomen gesserint, quam disciplinae formam proposuerint, etsi a nobis certo defini non potest; id tamen perspicue intelligitur, fuisse illos homines Ex-Iudaeos, qui, postquam, religione christiana suscepta, aliquamdiu cum reliquis ecclesiae ab Apostolo fundatae membris societate coniuncti vixissent, secessione ab his doctrinae, ab Apostolo descriptae, adhaerentibus membris facta, varia traderent, quibus fidem et auctoritatem illius doctrinae labefactarent, atque novam sectam eiusque asseclas e Christianis sibi comparare conarentur. Ioannes enim in iis describendis his utitur verbis: *egressi sunt a nobis, e coetu nostro, cui antea adscripti erant, sed non*

p) Uberius et ex instituto de consilia et KNAPPUS in Comment. in loc. 1 Joan. argumento huius epistolae exposuit S. V. V, 6—11. Halae. 1792.

non erant ex nobis, non re vera pertinebant ad nos, quippe non eadem nobiscum sentientes. Si enim a nobis fuissent, si vere et ex animo eadem nobiscum sensissent: mansissent apud nos, non discessissent a nostro coetu; atque facta hac secessione declaratum est, non omnes, qui coetui nostro annumerantur, esse a nobis, veros verae, a nobis traditae, religionis cultores, seu Christianos. Ac haec quidem descriptio non minus, quam appellatio ἀντιχρίτων, qua insigniuntur, quorumque adventus eeu portentum temporis illius postremi praedictus sit, luculenter declarant, sub iis non intelligi posse Iudaeos, quos Loefflerus p. 36 intelligere videtur, quippe Messianam Christi dignitatem infitiantes. His enim nominibus si omnino Iudaei increduli notarentur: omnes Iudaei, quippe religioni Christianae adversantes his nominibus appellandi fuissent, quia ii a primis inde religionis christ. originibus Christo eiusque Apostolis se opposuerant; neque eorum exortus et impetus, quo res Christianas infestabant, tanquam peculiare quoddam signum rei illius futurae designari et praedici potuisset, cum semper hoc sensu tales Antichristi extiterint. Neque ab his Iudaeis, qua Iudaeis, timendum erat, ne veritas dogmatum ab Apostolis traditorum et callitas morum ab iisdem praeceptorum sequentibus temp. magis perverteretur et corrumpetur, quam id antea factum fuerat. Non ab his incredulis Iudaeis, sed ab παρεισχύτοις ψευδοδέλοις et ψευδαποστόλοις, quomodo eos Paulus Gal. 2, 4. et 2 Cor. 11, 13. 15. appellat, doctrinae Christ. damna gravissima inferebantur. Hi enim simulantes fidei professionem atque se quoque πνεῦμα ἔχειν iactitantes (4, 1.), multo facilius Christianorum nonnullos in suas partes trahere, suis opinionibus imbuere atque ecclesiam perniciosissimis commentis turbare poterant, quam si professionem religionis Christ. prorsus abnegassent, aut nunquam huic addicti fuissent.

Naturam quidem et summam erroneae doctrinae, ab istis Antichristis disseminatae, quamquam cum caulis suis et iis, quae inde ad mores hominum formandos certis legibus deducebantur, omni ex parte describere non possumus: id tamen certissime patet, istos homines primo negasse Iesum esse Christum (2, 22.) filium Dei (4, 15.) ἐν σαρκὶ ἐληλυθέναι (4, 2.)

(4, 4.) atque ita fidei doctrinam ab Apostolis declaratam plane sustulisse, quamvis nobis non certo r) constet, quibus de causis et quo sensu illi his doctrinis fidem denegaverint; *deinde* eosdem aut ex iis quosdam in eodem coetu viventes, necessitatem vitae sanctae et ad praecepta Christi diligenter conformandae fregisse, tum, quia putarent, haec praecepta r) difficiliora esse, quam ut ab hominibus exacte observari possent, tum, quia negarent, peccando hominem culpam r) contrahere, atque poenis divinis fieri obnoxium; *tandem* etiam officia caritatis Christianis praestanda iusque deque habuisse, et tamen sibi persuasisse, se hoc ab amore alie-

q) Diversum enim sensum admittunt verba, quibus dicitur negasse *χριστὸν ἐληλυθέναι ἐν σαρκί*. Cf. PAULUS in *historia Corinthi* P. alt. §. 22. p. 69., qui non *Cerinthum*, sed eos a Joanne hac descriptione innui censet, qui negarunt, Jesum *vero corpore indutum* fuisse, tum, quia verba *ἐν σαρκί* ερχ. grammaticè explicari possunt, *cum* i. e. *non sine corpore* venire, tum, quia ipse scriptor epistolae ad experientiam ipso manuum tactu factam (I, 1.) sollicitè provocet, *id*, inquit, *quod ab initio fuit, quod auditu visuque percepimus nos ipsi, etiam manus nostrae palpaverunt, quicquid ad λόγον τῆς ζωῆς pertinuit*. Constat, qui ita sentirent, posteris tempore *Docetas* et *Phantasiastas* fuisse appellatos. Eiusdem sententiae est Schmidt auctor *des Versuchs einer Einleitung in den ersten Brief Joannis* in der Bibliothek für Kritik und Exegese des N. T. und älteste Christengeschichte I. B. 1. St. p. 69. *Knappius* vero in *Comment. supra cit.* p. 5. v. *Ἰησοῦς ἐν σαρκί ἐρχόμενος* de Jesu humili, obscuro, et ignominiosae morti obnoxio explicanda et hos, qui hoc sensu Jesum negaverant esse Christum, ex eorum genere suis-

se censet, quos *humilitas Jesu* offendisset, quippe qui in Messia expectassent potentem, splendore externo conspicuum hostium debellatorem et publicae libertatis vindicem.

r) Non sine certo ad hos secus docentes respectu monetur 5, 3 praecepta dei τῷ ἀγαπῶντι τὸν Θεὸν i. deum ex animo reverenti observatu difficilia non esse.

s) Hinc Joannem videmus institutionem suam inchoare demonstratione necessitatis vitae sanctae I, 5. atque hac proposita obiectioni eorum occurrere, qui se *ἀμαρτίαν ἔχειν* et *ἡμαρτηκέναι* i. e. *culpam peccando sustinere* negarent. Quemadmodum enim ex aliis N. T. locis certum est, illis verbis non modo *peccandi actum*, sed *poenarum culpam peccando contractam* indicari, ita ex v. 4. cap. 3. cogitur, *de poenis, quibus homo peccando obnoxius fiat*, verba h. l. interpretanda esse. Contra quos enim docetur, *ἀμαρτίαν* esse *ἀνομίαν*, ii haud dubie negarunt, se sibi peccando contrahere culpam et poenam. Qui vero negaret, ab se unquam contra legem, contra ius et fas aliquid esse admissum, vix usquam exstitit homo.

alieno et infesto animo erga alios Christi cultores, Apostoli doctrinae forte addictiores, tamen versari ἐν Φωτὶ seu perfectos esse Christianos. Ac his quidem potissimum erroribus ac vitiis in coetibus Christianorum, quibus scripsit Ioannes, obortis hac sua epistola occurrere voluit.

Si igitur in legenda et explicanda epistola Ioannea hoc eius consilium, hanc eius conscribendae causam tenemus, atque his tanquam norma innitimur, iuxta quam singulas admonitiones et praeceptiones diiudicamus: nihil profecto in iis reperiemus, quod huic consilio non respondeat et exinde explicari possit; nec ullam videbimus causam, quare non omnia ac singula Christianis, religionis Christianis scientia imbutis hancque religionem profitentibus, dicta esse putemus, ideoque coniiciamus, epistolam non unice ad hos, sed et ad incredulos adhuc Iudaeos rerumque christianarum ignaros esse scriptam. Quoniam vero *Loefflerus* sibi vilis est, eius rei vestigia quaedam in epistola hac deprehendere: iam ea quippe argumenta, quibus coniecturam suam adiuvari arbitratur, recensamus atque diiudicemus.

Primo inquit, ipsum epistolae initium videri declarare, (p. 153 libr. laud.) Ioannem ex parte ad non-christianos vel tales scripsisse homines, qui admodum exiguam religionis christianae cognitionem vel nullam certam et firmam de ea persuasionem animo imbibissent. Apostolum enim fidem sibi tanquam ἀυτόπτην debitam ibi probare ac commendare, ut suis dictis vim et auctoritatem conciliaret apud lectores, id quod propter Christianos non opus fuisset.

Etsi nobis non id sumimus, ut definire suscipiamus, qualis ac quanta religionis cognitio singulis his fuerit, quibus scripta est epistola: id tamen defendimus, istos omnes tum scientia religionis christ. imbutos fuisse, tum hanc religionem publice esse professos, cum quibus, quaecunque demum eorum cognitio fuerit, inscii plane et increduli adhuc Iudaei permutari non debent, quippe ad quos hanc epistolam missam esse negamus. Si enim omnis haec res unice ex luculentis ipsius Apostoli declarationibus in epistola obviis diiudicetur: nulla apparet causa, cur statuamus, lectores epistolae fuisse religionis Christianae inscios ab eaque adhuc
 abhor-

abhorrentes. Ipsi enim, ut loci supra allati perspicue docent, describuntur tales, qui omnia in religionis negotio scitu necessaria audivissent, nec ullo in loco inscitiae, incredulitatis causae, accusantur. Quin vero quorundam cognitio exigua et manca, persuasio animi infirma omninoque talis fuerit, quae variis rationibus turbari ac impediri potuerit, quis dubitet, qui cogitaverit, coetus Christianorum ex varii generis hominibus coactos fuisse, quibus, varii cum variis animi et mentis gaudeant dotibus, non eadem cognitio, non eadem persuasio insidere potuit? Ac coetus quidem, e multis iisque omnis generis hominibus collectus, ubi est, qui, vel a sapientissimo doctore omni cura et studio de religione nova edoctus, non subinde indigeat, ut ei denuo religionis summa et praecipua, quibus eiusdem vis et veritas nititur, argumenta repetantur et confirmantur, imprimis, si iam alii existant, qui, dum ipsi duces aliorum esse volunt, alia atque diversa docendo animos hominum perturbant atque a veritate abducunt? His iam de causis nullo modo dici poterit Christianos tali confirmatione in fide, qualem initio epistolae Ioanneae legimus, non opus habuisse. Accedit, quod ex declaratione, qua se ibidem Ioannes cognitorem et testem eorum, quae de vita, fatis et doctrina Iesu retulit, fide dignissimum sistit et commendat, per se colligi non potest, id incredulorum et a religione christiana alienorum causa factum atque his iisdem scriptam esse epistolam, si id non certo aliunde constat. Plures enim ac variae omnino causae esse possunt, ob quas religionis doctor necessarium ducit, sibi docenti denuo auctoritatem asserere. Nonne, ut exemplo utar, Paulum in epp. ad Galatas et Corinth. multis legimus divinae suae legationis auctoritatem atque doctrinae hac auctoritate propositae veritatem probasse, et id quidem apud hos, quos ipse edocuerat, et ad religionem christ. adduxerat? Anne etiam hic has suas epistolas ad incredulos et inscios plane scripsisse dicendus est? Quod si vero, uti in epistola nostra fieri videmus, status ecclesiae, cui epistola missa est, talis describitur, in qua varii prodierunt homines, qui christianos ab Apostolo alienare conarentur, negando, Iesum esse Messiam, eumque corpore humano indutum veriatum esse inter homines, asserendo, peccatum nullam

nullam

nullam esse ἀνομίαν, quique doctrina, vita et moribus alios ad negligendam et deserendam doctrinam ab Apostolo traditam allicerent; gravissimae sane aderant causae, ob quas doctrinae suae veritatem vindicaret et confirmaret apud hos eosdem christianos, inter quos quidam exorti fuerant, qui illam impugnare coepissent.

Et quomodo, quaeso, Ioannes, si Iudaeis a religione christiana alienis eiusque plane rudibus scripsisset, sperare poterat, fore, ut hi ad deserendam patriam religionem et ad christianam amplectendam perducerentur simplici declaratione, nihil ab ipso doceri, nisi quod certissime cognitum et exploratum haberet, facta illa in epistola, cuius auctorem non norant, quae ne nomen quidem auctoris prae se ferebat? Adeone facili opera Iudaei ad fidem Iesu, Messiae, habendam adduci poterant? Sed ipsum hoc testimonium, quod de veritate doctrinae suae initio epistolae perhibet Ioannes, ut et reliqua, quae deinceps tradit, ita comparata sunt, ut nonnisi his, qui doctrinam ab Apostolo traditam habebant cognitam, scribi potuerint. Non enim ea, quorum se testem locupletissimum dicit, accuratius et ulterius describit, sed modo ex iis tanquam notis quaedam excerpit, modo ad ea quippe res confessas verbo tantum respicit 5, 6—11. Ne nomine quidem designatam legis in epistolae initio personam, cuius doctrinae testem se profitetur fide dignissimum. Vides eum de hac ipsa persona et doctrina per eandem proposita statim incipere loqui, ut de λόγῳ ζωῆς, quae in his terris apparuerit, id quod necessario supponit, lectoribus iam cognitum fuisse, quis ille λόγος ζωῆς sit, quae fuerit ζωή, quam conspicuam factam esse dicit, cum plane nihil ad eam designandam addiderit, nec aliquid addere necessarium duxerit. Versu tertio demum semel *Iesus* nomine appellatur, sed simul cum *Patre*, ut inscius et a religione chr. alienus lector intelligere non posset, quae iam scribuntur, de religione a Iesu promulgata scribi. Nulla praeterea Christi mentione facta auctor institutionem suam orditur his verbis: αὕτη ἐστὶν ἡ ἀγγελία, ἣν ἀκηκόαμεν ἀπ' αὐτοῦ, id quod solet ibi tantum fieri, ubi alii iam sciunt, de quo nobis sermo est. Atque doctrina v. 7 proposita: hos, qui sancte vivant et ad exemplum dei animum confor-

C

ment,

ment, τὸ αἶμα Χρ. καθαρῖζεν ἀπὸ πασ. ἁμαρτ. satis arguit, epistolae lectores iam edoctos fuisse de morte Christi eiusque consilio. Ita quidem ex univërfa oratione, qua Ioannes suam epistolam exorsus est, satis clarum esse puto, ea non voluisse Apostolum incios et incredulos primis religionis christ. notitiis imbuere, et ad has fide amplectendas perducere, sed hos, quos ipse edocuerat, monere, ne alios, suae de Iesu doctrinae repugnantia docentes, audirent, quum ipse, quippe τῶν ἀπ' ἀρχῆς αὐτόπτης, verissima et fide dignissima tradere posset et tradidisset, quibus itaque acquiescere vellent¹⁾; de quo Ioannis consilio eo minus dubitari potest, quum ipse illud declaraverit cap. 2. vs. 26. his verbis: *haec scripsi propter hos, qui vos seducere volunt.*

Alium deinde locum, qui demonstret, epistolam ad Iudaeos a religione christ. alienos scriptam esse, profert Loefflerus hunc ex eiusdem cap. 1. vs. 3 et 4, ubi Apostolus causam, qua ductus doctrinam Christi tradiderit atque epistolam scripserit, hanc esse dicit: Ἰνα καὶ ὑμεῖς κοινωνίαν ἔχητε μετ' ἡμῶν, quae verba ita reddit: damit auch ihr mit uns in Gemeinschaft tretet¹⁾, quasi esset: ut et vos doctrinam christianam fide suscipiatis. Sed hac dicendi formula *facio aliquid, ut alii mecum coniuncti sint* in N. T. nequaquam per se hoc exprimitur, hos, quos ita nobiscum coniunctos esse volumus, usque adhuc ab omni nobiscum coniunctione exclusos, seu plane expertes fuisse eorum bonorum, quibus nos fruimur; cum ista locutione potius *continuum* quid indicetur, atque innuatur, nos cupere, ut et alii porro nobiscum coniuncti maneant et iisdem, quibus nos fruimur, bonis perpetuo perfrui possint. Non *initium*, quo *primum* in societatem alicuius rei venimus, hac loquendi ratione designari, intelligitur ex vs. 6, ubi Ioannes ita scribit: *si dixerimus,*

1) Cf. Ziegler. libr. supra cit. p. 262. qui ita de exordio ep. iudicat: *der Eingang ist eine lebhafteste Versicherung, dass die Lehre, die er seinen Lesern mündlich vorgetragen habe, die ächte unverfälschte Lehre Jesu sey, da er Augenzeuge von seinem Leben*

gewesen sey, wodurch er sich als den Sohn Gottes oder Messias legitimirt habe, und dass er sie deshalb in ihren Hauptpuncten noch einmal wiederholen wolle, um ihr wahres Heil zu befördern.

mus, nos coniunctos esse cum Deo (ὅτι κοινωνίαν ἔχομεν μετ' αὐτοῦ) et in peccatis versamur: mentimur, quibus verbis non hoc velle potest, nos demum incipere frui gratia div., sed nos iam esse in eo statu, quo de favore div. certi sumus. Si deinde cogitemus, fuisse in coetu Christianorum, quibus scripsit Ioannes, quosdam, qui se segregassent a reliquis doctrinae Apostolicae addictis et alios in suas partes trahere studerent: timendum erat, ne et reliqui, Apostolo adhuc dediti, ab eo alienarentur et coniunctione, qua hactenus cum eo vixerant, dissociata, iacturam facerent bonorum, quibus antea fruebantur, quod ut ne fieret hac epistola cavere voluit. Et quem tandem fugit, verba, εἶναι ἐν Χριστῷ, πιστεύειν εἰς Χριστὸν laepe cum μένειν ἐν Χρ. permutari, atque illa et alia his similia ap. Ioann. ita usurpari, ut non modo initium fidei Christi doctrinae adhibitae, sed perseverantiam et constantiam in ea tenenda et profitenda complectantur? Vereor igitur, ut ex h. l. aliquid ad hypothesein Loeffleri tuendam elici possit.

Tertius praeterea locus, quem idem Vir S. V. hanc in rem profert, 3, 23. his continetur verbis: *Summa doctrinae a Deo traditae haec est, ut credamus in eius filium, Iesum Christum, et amemus nos invicem ad illius praescriptum.* Haec, inquit p. 155, non credentibus videntur dicta, sed his, qui ad christ. religionem fide suscipiendam adducendi erant. Causam, cur ei ita videatur, addidit nullam. Arbitror hanc ob causam, quod, quae hoc in vl. praecipuntur, eiusmodi generis sunt, ut a nemine Christianorum ignorari potuerint, adeoque horum causa ut praescriberentur, non necesse fuerit. Verum tamen si epistolarum loci, in quibus prima ac notissima religionis praecepta proponuntur, argumento esse possent, ipsas epistolas inficiis et a religione christ. alienis esse scriptas: omnes fere ad huiusmodi generis homines scriptae dicendae essent. Sed constat, epistolas non exaratas esse ab Apostolis, ut nova plane et antea inaudita lectoribus suis traderent, sed ut vel notissimas et certissimas doctrinae partes ab aliis vero vel negatas, vel impugnatas, vel male explicatas assererent, et ab erroribus vindicarent. Iam vero cum per epistolam certum sit, in coetu, cui data est, fuisse homines, qui

doctrinae de Iesu Messia fidem datraherent, qui Christianis amoris officia denegarent: hicce ecclesiae status causas nobis suggerit satis graves, quae Ioannem impulerint ad has religionis partes in epistola, Christianis scripta, repetendas et urgendas. Ecquid vero est, quod nos iubeat alia, quam notissima et lectoribus saepe tradita praecepta in hac epistola expectare? Ipse enim Ioannes profitetur 2, 8. se nihil lectoribus suis scribere, nisi quod olim a suscepta inde religione christi. audivissent. Dum vero ibi, edita hac professione, pergit ex partibus doctrinae, lectoribus alias iam traditae, quasdam proferre: idem hoc, quod in nostro loco legimus, praeceptum de fratribus amandis proponit. In eodem porro capite vl. 22. declaravit, ψεύστην hunc esse, qui neget, Iesum esse Christum. Quid vero hoc aliud est, quam docere, eum, qui velit verus Christi sectator esse, debere credere in Iesum Christum, filium Dei? Id vero ipsum Christianis propter falsos doctores, quibus circumdati erant, ut diserte addit, scripserat. Nulla igitur causa adest, cur hunc locum, in quo Ioannes ea, quae in prioribus iam Christianis scripserat, breviter repetit et summam proponit, non iisdem Christianis eorundem ἀντιχρίστων causa scriptum esse censeamus. Quid? quod ea, quae hunc locum (3, 23.) excipiunt, manifesto evincunt, etiam hic respexisse Ioannem ad ψευδοπροφήτας et πλάγους illos, qui doctrinam de fide in Iesum et mutuo hominum amore perverterent. Exponit enim in sqq. de signis, quibus veri religionis christi. doctores et cultores a falsis eiusdem religionis doctoribus et cultoribus dignoscantur.

Tandem loco 5, 13. omnem rem extra dubitationis aleam poni censet *Loefflerus*. Locus ipse quidem varie legitur, ita tamen, ut hac varietate sensus nihil mutetur. Secundum lectionem quidem vulgo receptam Apoliolum credentes ab aliis discernere atque hanc sermonis partem ad priores convertere; ex altera vero, quam et Versio vulgata sequitur, Ioannem se ipsum corrigere putat, et id quodammodo restringere, quod nimis univérse dixisset, quia non omnes lectores in credentium numero fuissent. Et quatenus quidem in coetu Christianorum, quibus Ioannes scripsit, homines erant, qui dislitterentur, Iesum esse Christum,
atque

atque a coetu apostolico se separassent, eatenus sane Apostolus per *ὑμῶν* credentes ac apostolicae doctrinae adhaerentes innuere, eosque a reliquis distinguere poterat. Inde tamen non cogitur, epistolam aliis praeter hos, quos per *ὑμῶν* alloquitur, esse scriptam, cum illi alii, a quibus credentes distingui putat, non denotentur aut compellentur, ut ad eos epistola quoque missa videri possit. Id tantum sequitur, Ioannem credentibus seu fidis suis discipulis scripsisse omnem epistolam, non vero illis, qui suam doctrinam reliquerant. Deinde legimus quidem, Ioannem variis in locis epistolae se atque suos distinguere ab aliis, quorum errores refellit, sed ex iisdem quoque locis clarum est, hac distinctione non describi credulos et incredulos, gnaros religionis christ. eiusque ignaros, sed veros verae, ab Apostolo traditae, religionis christ. cultores et falsos fraudulentosque eiusdem sectatores, quippe eam depravantes. Denique verbis *οἱ πιστεύοντες εἰς τὸ ὄνομα τ. ὑ. ἰ.* non corrigere ac restringere orationem suam videtur Ioannes ratione lectorum, quibus scripsisse videri velit, sed causam et conditionem addere, qua lectores sui sperare possent, se obtenturos esse vitam aeternam, *si scilicet credant*, sive potius, ut transtulit *Carpzovius*, *si perseverent considerare Christo* s. constanter tenere doctrinam ab Apostolo traditam.

Ac his quidem locis quippe argumentis, ex ipsa Ioannis epistola arcessitis, sententiam suam de epistola, incredulis et alienis a religione christ. Iudaeis scripta, superstruxit *Loefflerus*, quibus an vis ad eam confirmandam inlit, vehementer dubito. Attulit tamen et alia, quibus eandem hypothesein adiuvari censet. Nimirum statuit, iam per se admodum probabile videri, Apostolos saepe ad ecclesias, in quibus Iudaei fuissent, scripsisse, atque hoc re vera factum esse, apparere ex 2 ep. Petr. 3, 9. Verum doleo, me et hic non contra dicendi studio aut aliis inani-bus de causis, sed ab animo, certas tantum, quas habet et perspicit, rationes in iudicando sequenti, impediri, quominus cum *Loefflero*, cuius auctoritatem alias magni facio, eadem sentiam.

Quod vero ipsam eius sententiam in not. p. 157 saepe laud. libri expressam attinet, *Apostolos nimirum saepe scripsisse coetibus, in quibus*
adhuc

adhuc Iudaei fuissent: hac sententia haud dubie idem dicere voluit, quod de epistola Ioannea ibidem p. 152 statuit, eam scriptam esse ad Synagogam Iudaicam, Iudaeis credulis et incredulis mixtam. Alias enim prior sententia eiusmodi quid contineret, de quo nemo unquam dubitavit, quodque nihil ad eius sententiam tuendam faceret, quum in singulis oppidis, in quibus Iudaeo-christiani erant, etiam Iudaei, nondum ad religionem christi. conversi, essent, neque hic de eo quaeratur, an talibus Iudaeo-christianis, qui Iudaeis incredulis cincti erant, scripserint Apostoli, sed an ipsis illis synagogis, quarum membra ex parte religionem Christi receperant, ex parte repudiaverant.

Quamquam vero, ad hanc quod attinet opinionem, nonnulli fuerunt, qui statuerent, *epistolam Iacobi* non modo ad Christianos, sed et ad incredulos Iudaeos propter cap. 5, 1—6. esse scriptam, (id quod tamen isto loco effici non potest): tamen non ad hunc, sed ad *Petrinum* ex 2 ep. 3, 9. provocat, in quo *Petrus* dicit: *Deum promissa de adventu Christi ad iudicium non nimis differre, ut quidam putarant, quasi ea servare nollet aut nequiret, sed eum patienti animo esse eis ἡμᾶς erga nos, quippe qui nolit, ut ullus pereat, sed ut omnes emendentur, βουλόμενος, πάντας εἰς μετάνοιαν χωρῆσαι*, quae v. *Loefflerus* vertit: *ut omnes Christiani fiant, sub μετάνοια aditum ad doctrinam Christ. intelligens, qua quis ἀπώλεια eximatur. Verum ἡμᾶς aut universum genus human., ut saepe alias in epistolis, complectitur aut ipsos Christianos, quibus epistola scripta est, inter quos sine dubio nonnulli vitiis adhuc dediti erant, a quibus ut relipiscerent, Deus ex mente Petri per patientiam suam efficere voluit. Nam quamquam μετάνοια et μετανοεῖν saepe de his dr., qui relictam religionem Iudaicam aut superstitionem gentili doctrinam Christ. fide amplectuntur: tamen non solum de prima hac Iudaeorum et Gentilium mutatione, in initiis Christianismi suscepti faciendam, sed de ipsorum Christianorum emendatione morali adhibetur, uti liquet ex 2 Cor. 12, 21. *) ubi Paulus ita ad Corinth. scribit: Φοβοῦμαι, μή, πάλιν*

*) cf. et 2 Cor. 7, 9. 10. et TITTMANNI *miae salutis* p. 8 177. et KΥΡΚΕ *Observ. S. V. S. V. Proluf. 2. de Vocabulis oecono-* ad loc. Petr.

πάλιν ἐλθῶν πρὸς ὑμᾶς, πενθήσω πολλοὺς τῶν προημαρτηκότων καὶ μὴ μετανοησάντων ἐπὶ τῇ ἀκαθαρσίᾳ καὶ πορνείᾳ καὶ ἀσελγείᾳ, ἣ ἔπραξαν
vereor, ne, ubi ad vos rediero, lugeam multos eorum, qui ante peccarunt, nec resipuerunt ab impuris omnis generis sceleribus, quae patrarunt. Ex quo quidem loco ut et aliis simul intelligitur, primos Christianos relicto Iudaismo et Gentilismo non statim omnem prioris vitae consuetudinem ac pristinos reliquisse mores, atque recte Petrum de Christianis scribere potuisse, Deum leni et indulgenti erga eos esse animo, quippe qui velit, ut sceleribus, quibus quidam adhuc volverentur, renuntiarent atque vitam et mores ad praecepta Christi emendarent. Nihil igitur ex hoc *Petrino* loco deduci potest ad coniecturam stabiliendam, videri Apostolos scripsisse ad Iudaeos a religione Christi alienos.

Praeterquam vero, quod historicis testimoniis probari non potest, Apostolos ad Synagogas Iudaeorum, quarum membra ex Christianis et non-Christianis constitissent, scripsisse: haec ipsa sententia etiam vix habere videtur, quo se a similitudine veri commendet. Admissa enim hac sententia, si eam quidem recte intelligo, sumendum esset, Apostolos literas suas hoc consilio scripsisse, ut in synagogis Iudaeorum, e quibus pars religionem Christi amplexa erat, pars repudiaverat, praelegerentur, id quod an unquam factum fuerit atque fieri potuerit, multis de causis ambigere licet.

Primo enim in Iudaeorum synagogis praeter segmenta illa, in quae Lex et Prophetae divisa erant, quorumque lectiones singulis diebus sabati caeterisque festis per annum celebrandis destinatae erant, nihil praelegere v) licitum erat. Antequam igitur integrae Iudaeorum synagogae cum Praefectis ad religionem Christi transierant, atque Iudaei Χριστιανίζοντες omnem coniunctionem cum reliquis Iudaeis et universo Iudaismo w) dissociaverant, haud permissum erat Christianis, Synagogas, Iudaeorum sacris olim destinatas, sibi arrogare suisque conventibus celebrandis dicere

v) cf. hic omnino VITRINGA de Synagoga Vetere l. 3. P. 2. cap. 7 sqq.

w) cf. HERDERUS, V. S. V. von Gottes

Sohn, der Welt Heiland. Nach Joannes Evangelium p. 307 sqq.

care, et in iis praeter V. T. libros alios pro sacris habitos praelegere ac omnino in ritibus, longo usu receptis, quidquam novare. Polleris vero temp. accidisse, ut Iudaeorum synagogae, quae integrae fidem in Christum recepissent, in Christianorum *oratoria* converterentur, certum est per historiae *) documenta; id tamen Apostolorum aetate quoque iam factum esse, nec constat neque verisimile videtur. Ipsi enim coetus Christianorum in singulis oppidis, primis illis temp. non adeo frequentes, saltem non tam pollentes potentesque fuisse videntur, ut in sacris rebus contra mores consuetos absque tumultuoso multorum renisu suscipere quid ausi fuissent. Praeterea constat, Iudaeo-christianos diu adhuc cum reliquis Iudaeis societate iunctos vixisse, eorum synagogas frequentasse, sabbatum cum iisdem praeter diem dominicam celebrasse omninoque leges Mosis observasse x), et harum iugum Adriani demum tempore deiecisse penitus. Quemadmodum igitur credibile non est, Iudaeos, infensissimo in Christianos flagrantis odio, his concessisse Synagogas, ut in iis cum reliquis Christi sectatoribus conventus suos pro lubitu agerent, ita nec est, quod opinemur, Iudaeo-christianos, legis Mosaicae et rituum Iudaicor. adhuc tenacissimos, toleraturos fuisse, ut neglectis synagogarum ritibus epistolae Apostolorum, quibus tum, cum primum scribebantur, nondum eadem cum V. T. scriptis auctoritas tribuebatur, in synagogis praelegerentur. Scimus quidem Iesum et Apostolos frequentasse Iudaeorum synagogas in iisque religionis christianae dogmata explicare coepisse, quia facultas praelegendi legem et prophetas iisque praelectis conciones ad populum erudiendum habendi cuilibet fere sacrorum perito ab Archisynagogis concedebatur. Novimus tamen etiam ex Actis, Apostolos et Paullum imprimis, postquam invidiam sibi tradenda religione christi. in synagogis Iudaeorum conflaverat, has synagogas deseruisse, atque, secessione a Iudaeis facta, in privatorum hominum aedi-
bus

*) cf. VITRINGA l. l. libr. I. P. 3. c. 2. *Comment. 3. de iudicandis morum praeceptis in N. T. a communi omnium hominum ac temp. usu alienis p. 70 sq. et GROTIUS*

x) vid. NITZSCHII nostri, V. S. V., ad Actor. 15, 21. et 21, 20.

bus cum Christianis precandi, docendi et coenam domini celebrandi causa convenisse. In ipsis rerum Christianarum initiis legimus, (Actor. 1, 13.) Apostolos cum discipulis suis fuisse congregatos in ὑπερώω, superiori illa aedium privatarum parte, studiis et pietatis exercitio consecrata; Paullum Troade ad Christianos, magno numero coactos, in eodem ὑπερώω differuisse (Actor. 20, 8.) atque Ephesi in museo cuiusdam Tyranni per integrum biennium disciplinam christianam tradidisse (Actor. 19, 9. sq.) Ex his et multis aliis locis N. T. certum est, Christianos, Apostolorum aetate, in privatas aedes membrorum ecclesiae fuisse congregatos in iisque sacros suos conventus egisse. Quodli igitur coetus Christianorum in suis quique locis tales aedes sive arbitrarias sive statas habuerunt: verisimile est, Apostolos ad tales Christianorum coetus epistolas fuisse missuros. Eiusmodi vero coetus Iudaeo-christianorum si forte intellexerit ipse *Loefflerus* sub synagoga γ) Iudaeo-christiana, cui epistolam Ioanneam scriptam esse cenlet: eam, opinor, nec simpliciter Iudaeo-christianam, neque ex Iudaeis credulis et incredulis mixtam synagogam appellare debuisset. Nam non ex meris Iudaeis conflatus erat coetus Christianorum, ad quem data est epistola, uti supra vidimus. Ipse vero coetus fidelium non nisi religionem christ. profitentes coetus sui socios agnoscebat et conventus sacri, qui in aedibus privatorum agebantur, ita publici non erant, ut promiscui e Iudaeis et Gentilibus spectatores admitterentur. Quae enim causae Christianos primos induxerunt, ut sacrorum causa segregatos agerent conventus, eadem eos quoque impulerunt, ut hos ipsos tegerent et abditos haberent, nec quibusvis aditum concederent; idque iam primo saeculo factum fuisse certis hiltoriarum *) testimoniis constat. Non igitur puto, recte dici posse, tales coetus Christianorum ex Christianis et non-Christianis constitisse. Nam quatenus homines adhuc ignari prorsus religionis Christ. erant, et ab ea profi-

tenda

γ) Atque hac significatione verbum συναγωγῆ iam occurrere videtur *Iacob. 2, 2.* P. 457. ubi v. *Pott.*

z) Vid. *Viringa* de Synagoga Vetere

tenda abhorrebant, eatenus non pertinebant ad ipsum coetum. Si qui vero rerum Christianarum adhuc rudes earum cognoscendarum cupidi essent: aderant *πρεσβύτεροι, ἐπίσκοποι, προεσώτες, ποιμένες τῆς ἐκκλησίας*, qui eos primis religionis notitiis instruerent. Sententiae autem, huiusmodi tironibus scriptam esse Ioannis epistolam, universa differendi ratio, quae per epistolam obtinet, refragatur. Omnino institutione scriptis facta Apostoli non sibi viam muniebant ad inscios et incredulos erudiendos et convertendos. Viva voce ^{a)} Iudaeos et Gentiles primis religionis Christi elementis imbuere aut per alios, a se missos, imbuendos curare solebant. Ubi vero, traditis his elementis, fundamenta religionis Christi et coetus hominum eidem relig. addictorum iacta erant, ibi epistolis conscribendis ista, ubi opus erat, magis stabilire et augere, atque ab iis, quibus ea convelli et labefactari videbantur, defendere laborabant. Ad ista prima religionis elementa, viva voce ab initio tradi solita, pertinebat institutio de vita et fatis Iesu; his rebus historicis initium ^{b)} fiebat disciplinae Christi.; his iisdem doctrina de Iesu Messia superstruebatur, omnis divina Christi auctoritas fulciebatur; has primum omnium nosse, credere, profiteri debebant, qui veri Christi cultores esse vellent; harum cognitionem, ex traditione haustam, cum epistolas scribebant, quippe lectoribus notam sumebant, nihil ad istas res accuratius describendas addentes, sed modo eas vel verbo tantum respicientes ceu omnibus notissimas. Harum rerum certam rationem omni cura ac studio probare ac confirmare nitebantur, quum hae ipsae religionis Chr. partes historicae a falsis doctoribus vel impugnarentur, vel variis commentis depravarentur, quae etiam Apostolis maximam partem scribendarum epistolarum occasionem dederant, uti vel ex nostra Ioannis ep. clarissime patet. Hinc vero etiam Apostolis in iis conscribendis non propositum fuit, homines ignaros et incredulos instruere primis relig. rudimentis, sed

a) Cf. et hic HERDERUS tum in libro supra laudato tum in altero: *Vom Erlöser der Menschen. Nach unsern drey ersten Evangelien* p. 182. 199. et 195 199. b) HERDERUS ibid. pag. 196: *der Grund der apostolischen Predigt war Geschichte.*

sed fidem professos monere, ut sibi caverent ab erroribus, per falsos doctores sparsis, ut ne rursus a religione Christi. ad superstitionem et vitia prioris vitae abducerentur, sed firmi ac constantes in fide et virtutis studio vitae cursum tenerent. Quum igitur probabile non sit, Apostolos ad infidos et incredulos scripsisse, quum argumentum et consilium ep. Ioann. nihil contineat, quo haec coniectura firmari possit: hypothesis *Loeffleri* de scripta incredulis epistola Ioann. non minus ac interpretatio loci 2, 2., in cuius gratiam suscepta est, mihi quidem certis fundamentis destitui videtur.

Coll. diss. A. 238, misc. 38